Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

que est mensura trium modiorum. nec attulit similam et vinum. ad libandum tantum. cum in libaminibus vitulorum pauciora sufficerent. presertim cum non nisi unum vitulum obtulissent. Sed intelligendum est quod residuum dedit domui sacerdotum. Porro mirum videtur esse puerum bimum quasi noviter ablactatum adductum esse ad ministrandum in tabernaculo. propterea quidam tradunt tres esse ablactationes. prima a lacte mamille que fit tercio anno. Secunda a lacte infantie. que fit septimo. tercia a lacte pueritie que fit xii°. et sic amovetur puer a nutrice. a tumore. a pedagogo. dicunt ergo quidam eum adductum post secundam ablactationem ad imbuendum litteris. Unde in sequentibus legitur quod per singulos annos mittebat ei mater tunicam parvam. alii dicunt quod post terciam ablactationem quasi iam idoneum ad ministrandum. Unde statim sequitur. Puer autem erat minister in conspectu domini. Cumque obtulissent puerum heli. ait anna. vivit anima tua domine. ego sum mulier infelix pro qua orasti. et ecce filius quem dedit michi dominus. Genus erat iurisiurandi per confirmationem quasi diceret per animam tuam domine. quidam tamen quandoque per execrationem dici putant ut ibi vivit anima tua domine rex. si novi eum. quasi diceret destruat me vita tua si novi eum. Et oravit anna dominum et dixit. Exultavit cor meum etc. canticum tamen est proprie non oratio. quia continet tria. hoc canticum primum est gratiarum actio pro beneficiis sibi prestitis. Secundo est invectio in superbos. occasione fenenne ibi. Nolite multiplicare loqui. tercio prophetat de regno christi ibi. Dominus iudicabit fines terre. Quod autem legitur in cantico. donec sterilis peperit plurimos. et que multos habebat filios infirmata est. Hebreus habet pro plurimos septem. et pro infirmata est secta est. et tradit quod singulis anne filiis nascentibus singuli fenenne filii moriebantur. et v. filiis anne duos filios samuelis connumerat ut sint septem. rediit helcana in domum suam. et samuel ministrabat ante heli. et dicit eum iosephus anno xii° pleno prophetasse.

De filiis heli.

Porro filii heli nescientes dominum partem sacerdotalem de sacrificiis antequam adolerent adipem tollebant ab offerentibus crudam. ut lautius sibi pararent eam. Et mittebat puer sacerdotis fuscinulam in ollam. et quicquid levabat fusci